



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 24. Loffredus ab Albæ Duce ad Papam missus & ab hoc detentus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI quo auxiliares Gallorum copiæ adve-
A.C. 1556. nirent, ipse exercitum educeret, &
 hostili manu munitiones Paliani ceptas
 dirueret; Philippus enim putabat, tunc
 si mature exercitus egrederetur, & ca-
 stra ad urbis usque portas promoveren-
 tur, fore, ut Pontificem viribus impa-
 rem belli temere a suis Nepotibus su-
 scepi pœniteret, & antequam auxilia
 Gallorum convenissent, soluto foedere
 æquis, & honestis conditionibus con-
 cordia iniretur.

§. XXIV.

*Loffredus ab Albæ Duce ad Papam
 missus, & ab hoc detentus.*

Pallav. l. 13. **E**o ex consilio Albæ Dux, ut Pontifi-
c. 18. & 19. cis copias nil mali suspicantes ex
Thu. l. c. improvise opprimeret, Pyrrhum Lof-
Ad. Consist. fredum Nobilem Neapolitanum ex il-
6. Sept. 1556. lustri Trivicorum Marchionum genere
 ortum ad Pontificem ablegabat, ut ex-
 periretur, an aliqua ratione res com-
 poni posset, vel saltem ipse Papam
 vana concordie spe, ac prætextu ludi-
 ficare valeret. Verum Pontifex con-
 trario artificio usus, cum Albæ Ducem
 ad arma prius haud descensurum cre-
 deret, nisi Loffredum re infecta reverti
 intelligeret, semper hunc Oratorem ad
 alloquium admittere differebat, eun-
 demque, licet sæpius ab eo interpel-
 laretur,

laretur, semper ad proximum Senatum, qui tamen nunquam habebatur, remittebat: Igitur Albæ Dux moræ impatiens, hæc studiose quæsitæ tergiversationes pertæsus, nequidem expectato Loffredi reditu castra promovet, Pontem-Corvum, & Fronsinonem occupat, simulque magno numero armenta ex ditione Ecclesiastica abigere jubet: quapropter Pontifex hanc agendi rationem indignatus Cardinales congregavit, atque in Albæ Ducem vehementer excandescens Loffredum adesse jussit, ab eo, quo ex negotio Romam venisset, sciscitaturus. Ad hæc Legatus respondit, duas sibi a Neapolis Pro-Rege traditas esse literas, quarum una summo Pontifici, altera Sacro Purpuratorum Collegio inscripta esset, ut tandem ad sedanda dissidia, pacemque conciliandam opportuna excogitarentur media. Accepto hoc responso Pontifex Albæ Duci suam temeritatem exprobrans querebatur, quod Papam fallere in animo habuisset, simulque jus gentium violasset, cum Sedis Apostolicæ ditionem infestis armis eo tempore invasisset, quo se de pace acturum simulabat; hæc igitur injuriam ulturus Pontifex Legatum ad arcem S. Angeli captivum abduci jussit, ex qua nonnisi anno sequenti post firmatam pacem liber evasit.

XXV,

Sæcul. XVI.
A.C. 1556.